

SCRIPTA

Numéro Scripta : 914

Auteur(s) : Robert de Gouvix [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Jourdain, chanoine d'Amayé, Bayeux (archidiacre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1165-1205]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Robert de Gouvix, chevalier, notifie une composition à l'amiable faite entre lui et l'archidiacre Jourdain, chanoine d'Amayé-(sur-Orne), au sujet de quelques dîmes de cette prébende. Le clerc présenté par Robert au chanoine devra jurer fidélité et obéissance à ce dernier.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesie Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CXXIII, t. 1, p. 149-150.

Dissertation critique

Épiscopat d'Henri II, 1165-1205.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, tam præsentibus quam futuris, Robertus de Goviz, miles, salutem. Notum sit vobis quod, cum inter me Robertum, et Jordanum, archidiaconum Baiocensem, canonicum præbendæ de Mae, controversia verteretur super quibusdam ejusdem villæ decimis, tandem, interveniente amicabili compositione, in præsentia domini Henrici, episcopi, et capituli Baiocensis, in hunc modum sopita conquievit. Ego siquidem in manu ipsius domini episcopi resignavi omne jus quod habebam in decimis ejusdem villæ, et ubicumque in ea essent mihi vendicabam, et auctoritate ipsorum domini episcopi et capituli interveniente, concessi eidem canonico, et successoribus suis in eadem præbenda, præfatas decimas cum omni integritate perpetuo possidendas, ita quod mihi, vel hæredibus meis, nichil omnino in eisdem decimis retinui, hoc excepto quod canonicus, vel successores sui, dabunt de grangia sua, per manum canonici, duos modios bladi, unum scilicet frumenti, et alterum ordeï, ad mensuram dictæ villæ, annis singulis, infra mensem septembris et Natale Domini recipiendos clerico quem dicto canonico, vel successoribus suis, ego, vel hæredes mei, præsentabimus. Si vero contigerit me juste evincere præsentationem cantariæ prænominatæ villæ a Rogero de Mae, milite, clericus, qui a me, vel hæredibus meis, canonico, vel successoribus suis, fuerit præsentatus, altaragium, et omnes minutas decimas, et tres modios bladi tercionarii in grangia canonici, per manum canonici, ad dictam mensuram, infra præfatum terminum, nominatæ cantariæ perciperet, et nichil ultra in decimis præfatæ villæ, vel in aliquo ad ecclesiam de Mae pertinente, idem clericus vendicabit, sed omnes decimæ, tam in duabus garbis quam tercia, canonico in perpetuum remanebunt ; clerico autem ad dictam cantariam præsentato, antedicti duo modii, unus scilicet frumenti, et alter ordeï, ipsi canonico in perpetuum remanebunt. Quicumque vero clericus canonico fuerit præsentatus, fidelitatem et obedientiam jurabit se canonico servaturum, et nichil, ultra id quod dictum est, in præfatis ecclesia vel decimis

petiturum. Ut autem hæc firma sint, et stabilia perseverent in perpetuum, ea hujus cartæ meæ munimine confirmavi, et me ipsam fideliter observaturum juramento a me corporaliter interposito repromisi.